Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26075
Copyright: Admont, Benediktinerstift



gulositatis et pigmentis et prosperitatis. Et tunc applicatur sic. Affluentia itaque mundana cor humanum sua dampnabili peste feriens tres in hoc tempore mortiferos relinquit effectus. Namque ipsum cor mutum facit in laude divina. Pallidum i. aptum et ydoneum ad eterna supplicia et seminetur quantum ad bona opera facienda. Jo. Mesue in primo practica. Valet autem et confert summo opere sanitati ut nocturno tempore vigilet. Paululum os teneat aptum et corpus maneat vestibus bene tectum. Vigilia et enim superflua siccat et oris aperto vapores malos de interioribus pectoris expirat sed tectura vestium cibum bene digerit et inflammat. Sed tunc per noctem presentis seculi affluentia designatur. Nam sicut nox naturaliter frigus inducit et sompnum. Juxta illud Plonis in Phedrone. Nox inquit plus sompnolenta est frigida et quieta. Sic et ipsa presentis seculi affluentia frigus inducit caritatis divine et sompnum perpetue cecitatis. Et tunc applicatur sic. In nocte igitur mundane affluentie sive in corpore necesse est assidua oris frequens confessio et laudatio atque virtutum decoratio et obumbratio. Ambrosius in Exameron libro vi°. Tempore estatis validi et fervoris homines infirmantur nubes eterna elongantur. Corvi aquis se immergunt et tempestas scilicet tonitrua et fulmina generantur. Per estum igitur validum aut presentis vite fervorem affluentia designatur. Nam sicut ipse estatis validi et fervoris aque exsiccantur consolatoris gratie celestis. Et tunc applicatur sic. Tempore igitur felicitatis affluentieque mundane homines in bonis operationibus infirmantur. Nubes i. sancti apostoli a nobis elongantur. Corvi i. peccatores aquis voluptatum se immergunt et tandem tempestates mortis perpetue consequuntur. Teophrastus libro de virtute et potentia. Tempore luminis excellentis et hora debilitatis minus visus nos ipsi sumus. Et hoc ideo quia visus noster distrahitur candore luminis atque nivis. Et tunc per lumen mundana humana affluentia designatur. Nam sicut nichil cecutientibus cecutientibus oculis quam lumen et splendor excellentis albedinis seu candoris ut ait Calcidius in Hyeme. Sic in cecutientibus nostre mentis oculis nil pestiferius est dicimus quam lumen presentis affluentie candor felicitatis transitorie et mundane. Sed tunc sunt per nivem affluentia astro designari. Nam sicut nix citius penetrat tecta et domos quam pluvia vel ymbri ut recitat Philosophus in problemate. Sic nimirum per dominum mundi huius affluentia citius penetrat domum anime maliuole quam ymbri gratie dulcedinis que divine. Sed tunc ultimo per visum dei beatissima cognitio figuratur. Nam sicut secundum Aristotelem primo Methaphisicorum visus maxime videtur desiderare ad vitam. Sic ipsa dei cognitio videtur desiderare atque cooperari ad vitam sempiternam. Et tunc applicatur sic. Tempore itaque glorie affluentieque mundane infirmiores atque debiliores sumus in dei et nostri cognitione. Aristoteles in libro problematum. Ut limpidius videamus unum oculum claudimus et visum obumbrando quodammodo tegimus. Cuius causam assignans dicit. Quia uno sensu clauso contingit alium sensum qui vicinior fuit melius roborari. Per quod datur intelligi quod adhuc quod deum in hac vita et in futura patria limpidius videamus necesse est ut oculum mentis nostre i. desiderium a presentis vite affluentia obtundamus penitus et claudamus. Cetera extra requirere in Registro.

De amaritudine

Mirra est amara et conservat a putrefactione ut ait Jo. Mesue in primo practica. Occidit muscas suo odore ut recitat Plinius in speculo naturali. Bibita valet contra morbum caducum ut asserit Galienus. Sic revera per omnem mundum amara mortis memoria seu amara mortis contritio et lacrimosa consuetudo hominem a corruptione mortis eterne. Occidit muscas suggestionis maligne. Obstat causa et mine anime et corporis sempiterne. Aristoteles libro problematum. Excellenter dulcia amara esse videntur. Cuius rationem assignans Philosophus ubi supra dicit. Excellenter dulcia namque obstupescere faciunt ipsum sensum. Per que datur intelligi quod illa excellentissima dulcedo visitationis gratie que cecitatis per infinita dulcoris sui suavitate maligne cordibus amara esse videtur. Dum lingua humore colico humectata fuit et infecta omne quod gustatur aut percipitur amarum ut pote estimatur. Per quod datur intelligi quod cordi humano amaritudine viciorum infecto pariter et corrupto desipit et amarescit dulcor divine suavitatis gratie cecitatis. Nil enim dulce aut tam suave cernitur quod non peccatrici anime amarum esse videatur. Ut supra. Philosophus in libro Methaphisicorum. Mare quidem salsum est. Fontes vero qui in litore fuerint valde dulces. Per mare amaritudinem intelligimus huius vite. Nam sicut mare nigrescit serenitatem mox futuram indicat. Testatur Aristoteles libro problematum. Sic